

mihi ignoranti etiam et non intendenti applicantur, ita et remissio poenae facta voluntate Ecclesiae, dummodo conditioni factum sit satis, quam ipsa requirit, applicabitur. Et sane indulgentia non est ex iis privilegiis, quae executioni mandentur ab ipso privilegiato, sed erga eas fidelis, completa conditione, passive se habet, eo qui indulgentiam concedit, pretium solvente Deo et absolvente fidelem. Sane res ita se habet cum Rom. Pontif. indulgentiam moribundo concedit iam sensibus destituto. Verum cum indulgentia datur hunc in finem specialiter ut fidelium devotio, pietas et caritas excitetur, non liquet quomodo in seipsum eam possint obtinere.

XIII. Ex hactenus declaratis censemus conceptum hauriri posse indulgentiae pro vivis (nam de indulgentia pro defunctis postea loquimur), cuius usus a tot seculis viget in Ecclesia. Ipsam idcirco definire licet ut sit: *Remissio poenae temporalis debitae Deo, quam Ecclesia ex thesauro meritorum Christi et Sanctorum subditis suis concedit extra sacramentum per potestatem solvendi sibi divinitus factam.* Huc redit definitio, quam prae aliis paululum obscurioribus probat Albertus M. in IV. D. XX. a. 16. inquit: *indulgentia est remissio poenae iniunctae ex vi clavium et thesauro supererogationis perfectorum procedens: cui consentit Alexander Alensis in Summae p. IV. q. 23. Cf. Suarez de Poenit. D. XLIX. Lugum de Poenit. D. XXVII. Bellarminum de Indulgentiis l. I. Hurter de Indulgentiis l. c.*

§. II.

De usu antiquo Indulgentiarum.

I. Cum quaeritur an usus concedendi indulgentias sit antiquus in Ecclesia, videndum est accurate quid quaeratur. Non est enim quaestio de modo accidentali, qui varius esse potest secundum diversas aetates, sed de ipsa essentia seu substantia rei. Porro essentia rei est in hoc quod indulgentia sit remissio poenae temporalis Deo debitae facta iusto extra sacramentum auctoritate Ecclesiae ex thesauro meritorum Christi et Sanctorum. Liqueat id ex conceptu eiusdem superius explicato. Si ergo talis remissionis usus antiquus est, indulgentiarum usus antiquus est in Ecclesia.

Adverte tamen quod etsi non probaretur antiquitas huius usus, imo si probaretur eiusdem novitas, nullum tamen verum praeiudicium crearetur contra auctoritatem insitam ab initio Ecclesiae concedendi indulgentias. Nam non est opus ut cum potestate existat simul exercitium eius, tum si rei naturam per se spectes tum

specialim si huiusmodi exercitium non est necessarium societati sed solum utile, ita ut ex certis rerum et personarum adiunctis definire oporteat an expediat nec ne huiusmodi exercitium. Id videre est in usu aliorum quoque iurium Ecclesiae, idemque valet in usu potestatis concedendi indulgentias, qui usus utilis quidem est et salutaris (Conc. Trid. sess. XXV.), sed non necessarius ut Ecclesia sit populusque fidelis rite gubernetur. Nam remissionem poenae temporalis aliis etiam viis obtinere licet, fierique potest quod identidem conducat permittere ut suis ipsi satisfactionibus solis fideles nitantur eam sibi comparare.

II. Ut igitur ostendamus historice antiquitatem indulgentiarum, placet primum afferre eam indulgentiam, cuius historicam veritatem quidam negarunt, quidam modestiores in dubium vocarunt. Ea est indulgentia stationum Romae, quam concessisse ferunt Gregorium M. qui certe stationes in Urbe ordinavit. Eam refert s. Thomas in IV. d. XX. q. 1. a. 3. ql. 2. et ante eum Gulielmus Altisiodorensis in Summa l. IV. Tract. 6. c. 6. Clamat Morinus (de Administ. Sacramenti Poenit. L. X. c. 20. n. 10) testibus adeo aetate dissitis, qui critica non adeo valebant, credendum haud esse, cum nihil de hac re in tot epistolis et sermonibus Gregorii appareat. Verum arbitramur tot coniecturas praesto esse ut id verisimillimum sit quod sec. XIII scholastici affirmabant. Quas coniecturas, cum et ipsae per se solae argumentum praebent usus indulgentiarum, quem quaerimus, non supersedebimus afferre.

III. Sane primo recolendum est huius indulgentiae a Gregorio M. concessae mentionem quoque facere Bonifacium VIII, qui ita ad testimonium provocat antiquitatis, ut non directe de ipsa re dubitet, et is argumento etiam saltem probabili innitatur, quo facti antiquitas ostendatur. Sic enim loquitur in Bulla *Sublimi*. « Sollicita meditatione discutimus qualiter b. Gregorius pluribus Urbis Ecclesiis primo, *prout tradit antiquitas*, et alii postmodum Romani Pontifices praedecessores nostri diversorum tenorum stationarias indulgentias concesserunt ». Ubi vides id, quod antiquorum testimonio probatur, non esse proprie hoc quod scilicet Gregorius stationarias indulgentias concesserit, sed quod *primus* fuerit in iis concedendis, qua in re si adversarii dicant falsos esse antiquos quatenus alii ante Gregorium idem concesserint, haud aegre feremus. Praeterea hoc antiquitatis testimonium confirmat Bonifacius praxi subsequentium Pontificum praedecessorum suorum, quos affirmare omnes post Thomam exstitisse non solum foret divinatio quaedam, sed adversaretur etiam iis, quae ex certis testimoniis mox afferemus. Nunc advertimus quod indulgentiae Gregorio tributae partiales erant, quoniam

Bonifacius eas confirmans addit unum annum et quadraginta dies de iniunctis poenitentiis in Bulla citata (Cf. Theodorum a Spiritu s. Tract. dogm. moralis de Indulgentiis p. II. a. 1. §. 3^o). Quales fuerint istae indulgentiae gregorianae colligere se posse putat Eusebius Amort (Theol. Moral. Tract. XIII. §. 14. q. 11. not. 5.) ex quodam caeremoniali romano Gregorii X. relato a Mabillonio in Musaeo italico Tom. 2^o. Sunt omnes partiales quorundam annorum et quarundam quadragenarum.

IV. Iam vero nihil esse cur miremur has stationarias indulgentias concessas fuisse a primo Gregorio haec certe suadent. Sane iam a sec. VII peregrinatio Romam « magnae virtutis aestimabatur », ut ait Ven. Beda Hist. lib. IV. c. 23. et iam tum persuasio erat populi Christiani quod euntes Romam ad Apostolorum limina seu visitantes Apostolorum basilicas consequerentur veniam peccatorum. Testis huius persuasionis est sec. VII s. Wilfridus episc. eboracensis, natus anno 634, de quo adhuc adolescente auctor eius vitae ait: « post circum annorum, suggerente Spiritu S., appellare et videre sedem Apostoli Petri et Apostolorum principis, adhuc inatritam viam genti nostrae tentare in cor adolescentis ascendit, ab ea omnem nodum maculae solvendum sibi credens et beatitudinem benedictionis accipiendam » (cf. eius vitam relatam a Mabillonio sec. IV Bened. p. 677.). Testis sec. VIII est Abatissa Cangyth scribens ad s. Bonifacium: « Notum tibi facere volumus, frater Bonifaci, quia multum temporis fluxit, ex quo desiderium habuimus, sicut plurimi ex necessariis nostris et cognatis sive alienis, quo quondam orbis Dominam peteremus et ibi peccatorum nostrorum veniam impetraremus, sicut alii multi fecerunt et adhuc faciunt, et ego maxime quo aetate provector sum, et multo plura in vita mea commisi et perpetravi » (Inter epist. Bonifacii epist. 30. Migne V. 89. col. 726.). Testis sec. X. est s. Wihorada, defuncta anno 925 quae (ut scribit in eius vita n. 8. Hartmannus cf. sec. V. Benedict. Mabillonii.) « cepit inter haec fratrem quotidianis monitis perurgere, ut, quia scirent b. Petro Apostolorum Principi commissam esse curam dominici gregis, claves regni caelestis cum potestate ligandi solvendique contraditas, eius aliorumque sanctorum limina Romae debeant visitare ». Testis eodem seculo s. Uldaricus, Augustanus Episcopus, qui anno 971 « venit ad limina Apostolorum Petri et Pauli Romam et gratissimorum emolumentorum ac indulgentiarum dona accepit » ut ait Gerhardus in eius vita (Migne V. 135. c. 1042). Seculo XI testis est Rex Anglorum Canutus, qui anno 1027 suscepto romano itinere sic scribebat Roma ad suos Anglos (apud Ioannem Malmesburiensem in Gestis Regum Anglorum L. II. §. 183.): « Notifico vobis noviter me ivisse

Romam, oratum pro redemptione peccatorum meorum... Et ideo hoc maxime patravi, quia a sapientibus didici s. Petrum Apostolum magnam potestatem accepisse a Domino ligandi atque solvendi clavigerumque esse regni caelestis, et ideo specialiter eius patrocinium apud Deum expetere valde utile duxi ». Pro seculis sequentibus advertit quid in sua Bulla Iubilaei testetur Bonifacius VIII: « antiquorum, ait, habet fida relatio, quod adscendentibus ad honorabilem basilicam Principis Apostolorum de Urbe, concessae sint magnae remissiones et indulgentiae peccatorum ». Et sane eo anno 1300 confluxus universis ex partibus orbis populi christiani Romam non contingit propter indictum a Romano Pontifice Iubilaeum, sed e contrario ideo sollemni modo per Bullam eo anno iam ineunte h. e. die 22 Februarii Indulgentias Iubilaei sanxit ac publicavit Bonifacius, quia sub initium eiusdem anni, stupente Romano Pontifice remque insolitam mirante, maximus christianorum concursus factus est Romam, ac ipso Bonifacio sciscitante huius rei causam, responsum datum est a quodam sene, qui testatus est patrem suum Romam venisse praecedente anno 1200, sibi filio suo praecepisse ut proximo futuro anno centesimo Romam pergeret ad Indulgentiam lucrandum; cuius senis testificationi consenserunt duo alii senes ex Gallia aliique provectae maxime aetatis idem affirmantes. Et re quidem vera alium Iubilaeum celebratum esse Romae ante Bonifacium testatur Albericus Monachus trium fontium in Galliis defunctus, ut videtur, circa annum 1241., qui in suis Chronicis ad annum 1208 ait: « dicitur quod annus iste quinquagesimus seu Iubilaeus et remissionis in curia romana sit celebratus » (cf. de hoc testimonio disputantem Fr. Ant. Zaccaria in Opere *l' Anno Santo* Lib. I. c. 1.). Non erat ergo cur quidam inter Protestantes doctor (Chamierus in sua Panstratia. Tom. III. L. XXIV. c. 5) pompam eruditionis facere vellet, monens Bonifacium fuisse primum, qui Iubilaeos seculares staterit ad morem ludorum secularium.

V. Ex his omnibus una collatis patet antiquam esse praxim peregrinationis ad basilicas Apostolorum Urbis pro consequenda peccatorum venia, hanc veniam peccatorum fuisse remissionem poenae coram Deo, quae speciali quidem modo h. e. plene centesimo quoque anno ab Innocentio III aetate saltem obtinebatur: indulgentiam tamen eiusdem rationis ac illam, quam Bonifacius VIII confirmavit et in perpetuum sanxit plenissimam pro anno Iubilaei; quae pro certa causa pia, nempe quarundam ecclesiarum visitatione, concedebatur. Haec autem est ipsa indulgentia, quae a non paucis seculis in usu est. Iam vero indulgentias illas iam a seculo VII annexas visitationi Ecclesiarum Urbis certe Romani Pontifices concesserant: quid ergo mirum si Gregorius M. stationum indulgentias indulsit?

VI. Rursus sec. IX Sergius II qui anno 847 defunctus est, concessit visitantibus Ecclesiam s. Sylvestri et Martini, in festivitibus plurium sanctorum, omni anno indulgentiam trium annorum et trium quadragenarum. Id testatur marmorea tabula eo tempore scripta et in ea Ecclesia collocata, quam refert Baronius an. 847. Aiunt certum haud esse quod illa tabula aetate ipsius Sergii posita fuerit, forte quidam recentiores ad venerationem suis reliquiis conciliandam collocari curarunt. Nam tunc temporis huiusmodi indulgentiae non erant in usu, quarum vix sec. XI incipit praxis apparere. At etsi aetate sequenti affixa tabula fuerit, quid difficultatis in eo est ut credamus ea aetate per certam traditionem aut alia monumenta scripta notum fuisse quid Sergius fecerit? Quod vero supponitur praxim harum indulgentiarum seculo tantum XI cepisse, id, nisi res ipsa cum certa quadam ratione eam probandi confundatur, et gratuitum et falsum est, ut constat ex modo disputatis. Imo ex illo ipso seculo IX monumentum exstat, quod hanc eruditorum imaginationem reiicit. Sacramentarium scilicet Vallicellianum sec. IX exaratum, in quo occurrit concessio indulgentiae dierum et annorum, cuius mentionem facit Mabillonius in suo Musaeo italico, quod et Papebrochio suasit ab ea communi sententia eruditorum discedere. Cf. in eius Paralipomenis Diss. 29.

Ut alias sequentis aetatis indulgentias promamus, anno 1048 Leo IX iis, qui convenerant ad consecrationem metropolitanae bisantinae a se peractam, tertiam partem poenitentiae suae condonavit.

Anno 1073 Gregorius VII sic scribebat ad Remedium episc. linculniensem: « Absolutionem peccatorum tuorum, sicut rogasti, auctoritate Principum Apostolorum Petri et Pauli fulti, quorum vice quamvis indigni fungimur, tibi mittere dignum duximus, si tamen bonis operibus inhaerendo et commissos excessus plangendo, quantum valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris » (Migne V. 148. col. 317). Idem Gregorius an. 1079 Monachis Massiliensibus, ut eos consolaretur, sic scribebat: « Ex hoc, auctoritate b. Petri Apostolorum principis, nobis valde indignis commissa, indulgentiam omnium peccatorum vestrorum promittimus, et absolutionem cum benedictione concedimus ». Satis constat quod cum ferretur in absentes, ea absolutio non erat a culpa seu sacramentalis (cf. T. XIII.). Adnotare haec iuvat ex Memoriali Indiculo veteris consuetudinis concedendi indulgentias V. Card. Thomasiai (oper. T. VII. opusc. 11.) quod Petrus Urbevetanus episc. et Papae Vicarius in Urbe sub Urbano V. in suis mss. scholiis ad librum Pontificalem, in gestis Gregorii VII. haec scribit de formula remissionis *omnium peccatorum*: « de ipsa canones non loquuntur, nec in Urbe scripta

sub tali forma aliqua reperitur, prout inquiri fecit Urbanus Papa V ». Deinde locutus de plenis indulgentiis ore tenus tantum concessis Ecclesiae s. Mariae de Angelis prope Assisium, s. Mariae prope Aquilam et s. Mariae Urbis Veteris subdit: « de quibus quidem Indulgentiis vidi turbatum dominum Urbanum V. cum erat in Italia, dicentem etiam non valere: et alioquin habuit dicere quod ipsas volebat annullare ». Cum haec formula: *plena imo plenissima venia omnium peccatorum* occurrat in Bulla Bonifacii VIII pro Iubilaeo, neque haec potuerit ignota esse Urbano V. evidens est quod Urbanus V. nec reprehendit simpliciter formulam: *omnium peccatorum remissionem* neque simpliciter concessionem eiusdem. Nam dicitur ei displicuisse id quod scriptum non reperiebatur: atqui in Bulla saltem Bonifacii ea formula scripta exstabat, nisi dicas aliud esse *veniam*, aliud *remissionem*. Censemus ergo improbasse Urbanus V. concessionem huiusmodi plenarum indulgentiarum ex causa levi, cuiusmodi ipsi videbatur visitatio earum Ecclesiarum: in quibus iudiciis ferendis homines sanctissimi quoque et prudentissimi, prout huius vel illius circumstantiae ratio habetur, variare solent.

Anno 1096 Indulgentiam plenariam Urbanus II. concessit pro expeditione Terrae sanctae in Conc. Claromontano, indulgens, « *ut iter illud pro omni poenitentia reputetur* ». Eugenius III. qui sedit ab anno 1145-55 concessit indulgentiam quorundam annorum et dierum venientibus ad sollemnitatem basilicae vaticanae (cf. V. Thomasium l. c.).

Anno 1121 Callistus II concessit Anglis peregrine bis euntibus ad Sanctum dictum (Iacobum Compostellae, ait Baronius ad hunc annum) idem benedictionis commodum, quod haberent qui semel Romanam irent. Cf. Baronium ibid.

Urbanus III pariter anno 1185 consecrata Ecclesia Parthenonis b. Mariae de Epeia Dioecesis Veron. concessit « omnibus ad anniversarium illius dedicationis diem advenientibus unum annum et 40 dies vere poenitentibus et confessis de iniuncta eis poenitentia criminalium, et quartam partem venialium » (cf. Glossarium du Cange mediae et infimae latinitatis, edit. Maurin. v. Indulgentia).

In Ecclesia s. Petri Romae. aetate s. Thomae, erat indulgentia 40 dierum visitantibus eam (Suppl. q. XXV. a. 2. ad 4.^o).

Sic sequentes Pontifices partiales indulgentias pro opportunitate concedere perrexerunt, quorum indiculum lege sis penes Thomasium l. c. ut nimia liberalitas Bonifacii IX. qui anno 1379 Pontificatum suscepit, notetur a s. Antonino (in 3^a p. Hist. tit. XXII. c. 3.) dum haec scribit: « et replevit orbem terrarum indulgentiis plenariis ita ut parvae Ecclesiae in suis festivitibus parvo pretio eos obtinerent

pro porrigentibus manus adiutrices in subsidium earum; eas tamen circa finem sui Pontificatus omnes, quas contulerat, revocavit » in favorem scilicet basilicae s. Pauli iuxta Urbem, ut eleemosynae fidelium ad reparationem tecti eiusdem converterentur, ut narrat idem Antoninus. Quae quidem causa pro largienda indulgentia fidelibus congrua satis erat.

VII. Adverte quod a sec. VII deinceps usque ad medium saltem sec. XIV. indulgentiae, quarum memoria superest, solebant fere semper concedi *de iniunctis poenitentiis*: cuius concessionis sensus non is erat ut sola obligatio poenitentiae iniunctae solveretur. Id sane falsum esse plura ostendunt; primo quidem eo quod formula hac etiam nostra aetate adhibeatur, cum tamen certa sit intentio concedentis indulgentias has, concedendi remissionem poenae coram Deo. Deinde cum haec formula vel sola adhiberetur, doctrina erat communis theologorum concedi per indulgentiam remissionem poenae debitae Deo: haec ergo est legitima eius formulae interpretatio. Et re quidem vera poenitentiam iniunctam a Sacerdote in Sacramento nulla auctoritas in terris directe potest solvere, quoniam sententia confessarii est in terris inappellabilis; potest vero indirecte, ablato scilicet fundamento, cui innititur sententia Sacerdotis, quo posito ius habet obligandi poenitentem ad poenitentias peragendas (cf. Lugum D. c. Sect. 2.): hoc autem fundamentum est debitum poenae erga Deum: hoc si tollatur, remanet per se liber poenitens a poenitentia iniuncta. Istud igitur debitum aufert Ecclesia cum indulgentiam concedit tot annorum aut dierum de poenitentiis iniunctis.

Quocirca perpendendum est ea aetate a sec. VII usum incepisse redemptionis poenitentiae canonicae, qui usus usque ad initium sec. XIII perduravit, quamdiu scilicet canones poenitentiales vigorem practicum obtinuerunt in foro sacramentali: qua de re cf. Morinum Lib. X. cc. 46. seqq. Haec porro redemptio, facta auctoritate Ecclesiae, erat commutatio quaedam poenitentiae gravioris in leviolem, cum eodem tamen beneficio remissionis debili poenae, quae proinde remissio, facta commutatione, gratis ex parte concedi ab Ecclesia credebatur. Nihil igitur prohibebat quod poenitentiae canonicae commutarentur in alia opera e. g. visitationis Ecclesiarum, eleemosynae in usus pios, atque haec agentibus concederetur remissio poenae, quae responderet uni, duobus, tribus annis transactis in poenitentia canonica. Notionem hanc commutationis seu redemptionis poenitentiae canonicae habes in indulgentia Urbani II. pro cruce signatis, cum dicitur quod illud iter pro omni poenitentia reputetur. Ceterum quia multiplex causa est concedendi indulgentias, non opus semper fuit

ut indulgentiam largiretur Ecclesia in eo casu tantum quod aliqua poenitentia exerceretur, etsi ea nunquam excludatur.

VIII. Reliquum est ut videamus an prioribus seculis ante VII^a usus hic exstiterit concedendi indulgentias. Censemus demonstrationem huius rei idoneam esse, quam affert Eusebius Amort in suae Historiae Indulgentiarum Dissertatione praeliminari §. 2^o seqq. Demonstratio sequentibus conficitur animadversionibus. Supponimus ritum poenitentiae publicae, quem repraesentant antiqui libri aut ordines poenitentiales, exhibere quoad substantiam eundem ritum, qui prioribus seculis vigeat, seu illum fuisse huius continuationem, quod nemo eruditorum negavit. Ex ritu igitur iis in libris contento licebit argumenta sumere pro nostra quaestione. Itaque sic expoliendam arbitramur demonstrationem laudati Theologi. 1^o In fine poenitentiae publicae, cum reconciliabantur poenitentes in Coena Domini, absolutionem eis Episcopus impertiebatur. Haec vero absolutio erat ab aliquo vinculo coram Deo: nam orationes et preces fundebat Episcopus Deo ut poenitentem solveret, similesque erant formulae huius absolutionis illis, quibus dabatur absolutio a peccatis. Non proinde 2^o erat haec absolutio a debito peragendae poenitentiae, quam Ecclesia imposuerat; nam, praeter argumentum nunc allatum, tales absolutiones iis quoque adhibebantur qui plene functi essent poenitentia praescripta; in his autem remissio poenitentiae iam peractae non habebat locum. Et sane absolutio, quam dabat Episcopus, erat absolutio a peccatis: *Omnipotens Deus*, aiebat, *qui b. Petro Apostolo suo ceterisque discipulis suis suam licentiam dedit ligandi atque solvendi, ipse vos absolvat ab omni vinculo delictorum, et quantum nostra fragilitas permittit, sitis absoluti ante tribunal Domini nostri Iesu Christi habeatisque vitam aeternam et vivatis in secula seculorum, intercedente b. Dei Genetrice Maria cum omnibus Sanctis. Amen.* (Cf. Antiquos Poenitentiales penes Morinum in fine operis de Administr. ss. Poenit. et Marthene de antiquis Ecclesiae ritibus). Porro 3^o haec absolutio, etsi identidem fuerit, universim tamen non erat absolutio a reatu culpae. Etenim non erat absolutio sacramentalis; nam dabatur generatim ab Episcopo iis, quorum confessiones non audiverat, sed qui e contrario aliis h. e. presbyteris confessi antea fuerant. Audi quid occurrat in Ord. XIX relato a Marthene. « Sacerdotes, quibus impositum est poenitentium confessiones audire, audiant illas in Ecclesia vel in alio loco ad id deputato, et qualiter in transacta poenitentia se gesserint qualiterque iniunctas sibi poenitentias observaverint, diligenter inquirent. Auditis itaque confessionibus, Episcopus ante horam sextam examinet cum Sacerdotibus ipsis diligenter qui digni sint

reconciliari, qui non. Deinde paratus etc.» subditurque ordo absolutionis.

Haec scilicet absolutio eadem erat ac illa, quam datam fuisse absentibus quoque contendit Morinus (Lib. VIII. cc. 25. 26.). Nisi ergo velimus dicere alium olim confessionem poenitentis excepisse, alium sacramentaliter absolvisse, aut sacramentalem absolutionem missam fuisse ad absentes (cf. Th. cit.), tenendum est eam absolutionem non fuisse sacramentalem. Erat ergo absolutio a poena, quae et ipsa dici consuevit absolutio a peccatis. Et re quidem vera confessio peccatorum distincta in iis poenitentialibus libris nequitur semper cum actione dandi poenitentiam in feria Cinerum, quam confessionem excipit absolutio quaedam. Duplex nimirum absolutio dabatur, prior cum daretur actio poenitentiae in feria Cinerum, altera cum sollempniter reconciliarentur poenitentes in Coena Domini. Porro cum agitur de absolutione in Coena Domini, vel non est sermo de Confessione generatim, vel si mentio eius fit, ea ad culpas eluendas in ipso stadio contractas poenitentiae potius spectabat, etsi nihil impediret quominus rursus poenitentes absolventur a peccatis iam remissis, eaque confessio, ut diximus, aliis facienda traditur quam Episcopo publice absolventi. Iam vero ea absolutio prior aliquid certe operabatur: nam erat actus potestatis Ecclesiae exercitae coram Deo pro remissione peccatorum. Pronum est ergo intelligere ipsam fuisse absolutionem sacramentalem, qua culpa coram Deo remittebatur.

IX. Dices: ergo poenitentibus publicis absolutio a culpa statim dabatur cum actio poenitentiae daretur, quo nihil est alienum magis a sententia Cypriani, aliorumque veterum Patrum. Non levis est difficultas, supposita opinione tot eruditorum, qui hoc pacto veterum praxim interpretantur, ut ordinarie absolutio a culpa post satisfactionem exercitam publicis saltem poenitentibus daretur. Verum censemur maximam vim difficultatis in eo esse quod eruditi viri in legem et praxim universalem veterum erigere voluerint id quod apud hos aut illos pro opportunitate reppererint factitatum, sententiisque Patrum eam non raro interpretationem subiecerint, quam ipsae non exigunt. Priore illo vitio infici putamus haud infrequenter opus Morini de Administr. Sacramenti Poenitentiae, in quo ampla quidem est suppellex eruditionis, sed in quo frequenter desideres rectitudinem ratiocinii, ut postquam plura legeris, nihil tandem habeas quod cum certitudine teneas. Nostra quoque aetate Theologi morales aut praecipiant aut consulunt ut absolutio certis poenitentibus post peractam satisfactionem differatur; nulla tamen lex Ecclesiae habetur, quae pro aliquo determinato peccato id praecipiat, sed quod theologi do-

cent, id ex ipso naturae iure sacramentique sanctitate colligunt regulamque proponunt, secundum quam minister sacramenti recte se gerat, ita tamen ut in eius situm sit arbitrio, omnibus perpensis, iudicare quid heic et nunc agendum sit. Qua ratione nunc sinuntur agere administri Sacramenti atque agunt, eadem dicimus prioribus seculis situm fuisse agere in potestate Episcoporum singulorum quoad forum conscientiae, nullamque fuisse legem, quae praeciperet certis poenitentibus vel publicis non dari absolutionem a culpa nisi peracta integra poenitentia, quamvis pro auctoritate sua quidam Episcopi ita decreverint (de qua re nolumus litigare, etsi certum id esse saltem cum ea amplitudine, quam volunt quidam eruditi, non concedamus) pro quibusdam peccatoribus, sui que decreti iustitiam pluribus argumentis confirmaverint.

X. Sane ut adversi argumenti infirmitatem ostendamus, advertere licet quod praxis poenitentiae publicae eadem per plura secula quoad substantiam perseveravit, hoc non negantibus adversariis, qui nobis afferunt veteres Libros et Ordines poenitenciales, ut ex iis intelligamus praxim Ecclesiae veteris et cognoscamus vera esse quae de veteri poenitentia ipsi disputant. Cf. praefationem Morini ad libellos poenitenciales a se editos in fine sui operis. Iam vero si in his libellis et ordinibus exhibetur praxis ordinaria poenitentiae publicae etiam veteribus usitatae, certum est quod a veteribus duplex dabatur absolutio, prior cum daretur actio poenitentiae, altera cum reconciliarentur poenitentes et ad communionem admitterentur. Et quidem absolutio prior erat absolutio a peccatis, expressa non raro formulis deprecativis, non secus ac altera; sed id non impedit quominus a Morino tanquam sacramentalis absolutio accipiatur. Haec praxis liquet ex omnibus iis libellis. Quaerimus ergo a Morino: quorsum spectabat haec absolutio? Si is audisset Cyprianum fundentem super poenitentem hanc vel similem orationem: « *Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, qui per Iesum Christum Filium tuum Dominum nostrum vulnera nostra curare dignatus es, te supplices rogamus et petimus nos humiles tui Sacerdotes, ut precibus nostris aurem tuae pietatis inclinare digneris, remittasque omnia crimina et peccata universa condones, desque huic famulo tuo pro suppliciis veniam, pro moerore laetitiam, pro morte vitam* ». Quid, inquam, si ita orantem Cyprianum audiisset, cogitasset Morinus? an potuisset, ipso Morino auctore, clarius significari remissio peccatorum? et tamen tales preces fundebantur, cum actio poenitentiae dabatur. At credibile, inquiunt, non est quod haec dicerentur a Cypriano super eos, quibus publicae poenitentiae actionem dabat. Esto: verum etiam credibile est quod hic modus dandi